



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitulum IX. Scribam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

fieri potuerit, vt ex aliâ causâ Titius terrorem conceperit, & loco discesserit.

4 Adverte 4. Coniectura & præsumptio sunt effectus indiciorum, videlicet suspensiones ac præsumptiones ex indiciis ortæ, nec differunt coniectura & præsumptio, nisi quod præsumptio *αὐτοματῶς* *prolipis* significet magis determinatum indicium, & assensum, coniectura verò potius suspicionem.

5 Præsumptio diuiditur, quod alia sit juris, & alia hominis; hominis præsumptio est, quam iure non expressam ex variis apparentibus indiciis vir prudens seu iudex format, juris autem præsumptio, quando lex ipsa ex aliquo indicio rem dubiam colligit, & hæc iterum diuiditur, quod alia sit juris tantum, contra quam probatio in contrarium admittitur; alia verò præsumptio juris & de iure, quando non tantum lex indicio aliquid colligit, sed etiam iubet hoc ipsum pro veritate firmiter habendum, ita vt contrarium probare volens non admittatur, vt videre est apud *Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 3. Mascard. de probat. princip. q. 10. & dixi lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 2. num. 5.*

Aduerte 5. Cum præsumptione juris, & de iure similitudinem gerere videtur fictio juris, si jus, quod non est ex iusta causa in ordine ad effectum aliquem, assumit, quasi sit, vt si aliquis, qui verè non possidet rem, pro possidente habeatur in ordine ad commoda possessionis, re ipsa tamen plurimum differt fictio à præsumptione; nam præsumptio assensum continet plerumque verum, sed fictio assensum non habet, cum in solâ apprehensione hæreat, quare cognita veritas non obstat fictioni, sed præsumptio tollitur, si contraria veritas appareat; plura lege apud *Menoch. q. 8.*

### CAPITULUM IX.

Scribam.

#### PARAPHRASIS.

Ex eo, quod Iudæi leges per Moysen ipsis

traditas neglexerunt, coniectura capi, seu præsumptio fieri potest, quod etiam in futurum ipsis leges ferantur, neglecturi sint, ex capite *Osea 8. v. 12.*

#### SUMMARIUM.

1. Ex præterito rei, aut Persona statu præsumptio fit de futuro.

NOT. vn. Ex præterito rei aut personæ statu præsumptio fit de futuro, quia nisi mutatio supervenisse ostendatur, idem status manere putatur. exempli causâ, si maritus antea in uxorem sæuire solitus erat, non restituenda ipsi est vxor, quæ ob sæuitiam illius se separavit. *c. Litteras. 13. in fine. de restitut. spoliar.* quia ex præteritis coniectura fit de futuris, & qui semel malus &c. item qui olim possedit, etiam nunc possidere præsumitur. *Argum. c. Olim. 17. de restitut. spoliatorum. l. Siue. 16. C. de acquir. possess.*

Excipe, nisi talis res sit, quæ temporis cursu necessario aut verisimiliter immutatur, vt præteritus morbus, tempestas &c. videri potest *Felin. hic.*

### CAPITVLVM X.

Quia.

#### PARAPHRASIS.

R. Capellanus dicebat, quod H. presbyter permutationis causa sibi personatum suum tradiderit, & vicissim receperit Vicariam, sed quia id verisimile non erat Alex. III. mandat Callienti Decano, vt probationes huius rei non suscipiat, nisi communi eius loci famâ id vulgatum sit, vel nisi testes producantur, quos verisimile non sit peieraturos, alioquin verò non raro contingit, vt testes corrupti falsum testimonium dicant.

#### SUMMARIUM.

1. Permutatio beneficii honorifici & pinguis cum alio tenui præsumitur fieri in fraudem, v. g. Simoniâ interveniente.

2. Est